



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Burchardi VVormaciensis Ecclesiae Episcopi,
Decretorum Libri XX. ex Consiliis, & orthodoxoru[m]
patru[m] Decretis, tum etiam diuersaru[m] nationum
Synodis, ceu loci communes congesti, in quibus ...**

Burchardus <Wormaciensis>

Parisiis, 1549

De præmio remunerationis. xxviii.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10722

sed dona desiderant, & sicut negligētes sunt in discussione causantū, sic in eorū dāno solliciti sunt, iudices prauī, iuxta Prophetā vocem, quasi lupi vespere nō relinquunt in mane, hoc est, de præsēntis vitæ tantūm cōmodis cogitant, nō de futuris. Vita enim ista vespere: futura verō mane accipiatur. Et bene ait quasi lupi, quia luporum more cuncta diripiunt, & vix pauca pauperibus derelinquunt.

De verbosis iudicibus, & elatis. Cap. XXVII.

Verbosi iudices, & elati, vt sapientes videantur, non discutiunt causas, sed asserant, sicq; cōturbant iudiciorum diem, dum suo nō contenti officio, aliena præsument, quidam dum iudicare incipiunt irascuntur, ipsamq; iudicii sententiam in insaniam vertēt, de quibus rectē per prophetam dicitur, qui conuerunt in furorem iudicium. Qui iratus iudicat, in furorem iudicium mutat, & ante protert sententiam quā agnoscat. Furor in iudice, inuestigationem veri non valet attingere: quia mēs eius turbata furore, ab inscrutatione alienatur iustitiæ. Iracundus iudex iudicij examen plenē cōtrueri non valet: quia caliginē furoris non videt. Qui autem repulso furore discutit, facilius ad cōtundam veritatem mentis serenitate consurgit: & sine vlla perturbatione, ad æquitatis intelligentiam peruenit.

De premio remunerationis. Cap. XXVIII.

Qui rectē iudicat, & præmium remunerationis expectat, fraudem in Deo perpetrat: quia iustitiam quam gratis impartiri debet, acceptione pecuniæ vendit. Bona malè vtuntur, quia iustē pro temporali lucro iudicant. Tales quippe ad veritatem, non iustitiæ defensio, sed amor præmij prouocat. Quibus spes nummi subtrahitur, confestim à iustitiæ confessione recedunt. Acceptio nummorum præuicatio veritatis est. Vnde & pro iusto dicitur: Qui excutit manus ab omni munere, iste in excelsis habitat. Dives muneribus cito corrumpit iudicem: pauper autem dum non habet quod offerat, non solūm audiri contempitur, sed etiam & contra veritatem opprimitur. Cito violatur auro iustitia, nullamque reus pertimescit culpam, quam redimere nummis existimat. Plus enim obtinet mentem censoris amor lucri, quā æquitas iudicij.

Ex libro
Officior.
S. Isidor.

Ex eodē.

Tres enim sunt munerum acceptiones, quibus contra iusticiam humana vanitas militat, id est, fauor amicitiarum, adulatio laudis, & corporalis acceptio muneris. Facilius autem peruertitur animus, rei corporeo munere, quam gratia laudisque favore. Quatuor modis iudicium humanum conuertitur: timore, cupiditate, odio, amore. Timore, dum metu potestatis alicuius, veritatem loqui pauescimus. Cupiditate, dum praemio muneris alicuius corrumpimur. Odio, dum contra quemlibet aduersarium molimur, cuius odio corrumpimur. Amore, dum amico vel propinquo praestare contendimus. His enim quatuor causis saepe aequitas violatur.

De oppressoribus pauperum. Cap. XXIX.

Ex eodē.

Pauperum oppressores tunc sentiantur grauiori esse sententia, quando praualuerint his quibus atrocius nocere voluerint. Nam tanto in futuro supplicio condemnandi sunt, quanto hic fortius contra miserorum vitam inualuerint. Audiāt iudices & qui praesunt populis, qui pro temporalibus molestiis quas plebibus ingerunt, aeterno incendio cremabuntur, testante domino per Esaiam prophetam: Iratus sum, inquit, super populum meum, & dedi in manu tua: non posuisti ei misericordiam, aggrauasti iugum tuum valde. Descende, in puluere sede, tace, & intra tenebras. Veniet super te malum & peries, & irruet super te repente miseria quam nescis. Magis mala facientibus quam mala patientibus, dolere debemus. Illi enim praualuendo in malum proficiunt: isti patiendo a malo corriguntur. Deus autem per malas voluntates aliorum, in multa operatur bona. Malignantium hominum voluntas nequaquam potest impleri, nisi Deus dederit potestatem. Nam dum homines Deo permittente malum quod contempiscunt perficiunt, ipse dicitur facere qui permittit. Inde et quod scriptum est per prophetam: Si erit malum, quod dominus non fecit. Veruntamen quod iniqui mala expectant voluntate, idcirco Deus perficiendi dat potestatem per suam bonam voluntatem, quia de nostro malo ipse multa operatur bona. Quidam cum Dei voluntati resistunt, nesciant consilium Dei faciunt, quod nouerint sic Deo subiecta esse omnia, ut & ipsi qui eius dispositioni resistere arbitrantur, eius impleant voluntatem. Propterea in hac vita bene